tiam numinis poſtulatum irent. Principem legationis deſtinarunt *Abeſalem.* Ille ſic coram throno cœleſti fatus eſt: *O benigniſſime DEus, tu ſemel creaſti Adam Patrem meum ad ſidem beatitudinis, ſed ſi non facis miſericordiam, nunquam perveniet ad finem, ad quem cum poſteris ejus eum creaſti. Ergò debes illius miſereri, & eum cum poſteritate ad felicitatem perducere. Quod enim ſemel placuit, amplius diſplicere non debet.* Secundus fuit *Noachus*, cujus fuit hæc apud DEum oratio: *Domine, tuum eſt miſereri ſemper & parcere.*

Nam.

Quò quisque eſt major, magis eſt placabilis iræ,
Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni,
Pugna ſuum finem, cùm jacet hoſtis, habet.

Cùm igitur Adam magno dolore de peccato pœnituerit, & humiliatus ſit, debes ei clementiam indulgere. Tertius fuit *Abraham*